



Dette værk er downloadet fra Slægtsforskernes Bibliotek

Slægtsforskernes Bibliotek drives af foreningen Danske Slægtsforskere. Det er et privat special-bibliotek med værker, der er en del af vores fælles kulturarv omfattende slægts-, lokal- og personalhistorie.

Støt Slægtsforskernes Bibliotek – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug. Videre publicering og distribution uden for husstanden er ulovlig.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

ANNIVERSARIA

PUBLICI EXAMINIS

IN SCHOLA LOLLANDO-FALSTRORUM CATHEDRALI NEOCOPIÆ SEPTEMBRI
MENSE A. MDCCCXIV. CELEBRANDA INDICTURUS.

PROLUSIONUM LOCO

PRAETERMISSAS QVASDAM OBSERVATIONES SUAE ORATIONUM
CICERONIANARUM EDITIONI

TIRONUM IN GRATIAM SUBIUNXIT

RECTOR SCHOLAE

SEVERINUS NIC. JO. BLOCH.

HAVNIAE.

EXCUDERAT A. SEIDELIN.

1814.

L e c t o r i S.

Neminem, cui quidem tanti visa sit nostra selectarum Ciceronis orationum editio, ut suis eam usibus adhibendam putaret, arbitror fugisse, quomodo sibi, pro humani consilii imbecillitate, in illustrandis illis orationibus non satis constiterit ratio nostra; quibus, quum ab initio propositum fuisset, pauca modo, neque nisi maxime necessaria monere, tanta tamen, quo longius in opere progredemur, subinde se offerebat rerum adnotandarum copia, ut, nisi studiosæ juventuti, commentariorum ope plerumque destitutæ, multa, quibus eidem subveniri haud incommode posse videretur, detrahere mallems, a primo instituto nonnihil recedendum nobis esset et, quamvis jam expressa prima operis parte, in ceteris aliquanto copiosius versandum. Quam ob rem, quum parcius instructa prodissset præclara illa et adolescentium lectioni adcommo-

datissima oratio *pro Sexto Roscio Amerino*: ne discentium studiis in hac una operis parte deesset quicquid opis adferre liceret, præmittenda nulla nobis videbatur opportunitas, quæ ea, quæ imperfecta reliquisset, quodammodo consummarentur. Veniam itaque humanissimi cujusque censoris expectaturi, quod in hisce proludendis, doctorum oblectamento minus, quam tironum institutioni vacare libuerit: tentamen indicamus, nostro in Lyceo, quemadmodum e tabula huic prolusioni ad calcem adnexa patebit, lito more publice instituendum; cui ut frequentes benignique veniadesse, si qui litteris ac studiis nostris favent quæ par est, humanitate atque officio rogamus.

Dabam Neocopiæ Falstrorum, ex ædibus Scholæ Cathedralis mense Aug. a 1814.

Ut optet. Optare est unum e pluribus eligere. cf. Virg. Æn. I, 425, "pars optare locum tecto."

In culeum. Parricidarum poena fuit, ut in culeum insuerentur vivi et in mare vel flumen dejicerentur. De quo supplicio vid. inf. cap. XXV—XXVI.

Verba *quoniam quidem suscepi* post "est satis", uncinis sunt includenda.

Pag. 21, annot. 1. pro *γενοίτο* legendum: *εἰδεν μοι τὸσον γενοίτο*.

Aut condemnetis, sc. iudicum ope, i. e. efficiatis, ut condemnetur.

CAP. XII.

Vir sanctissimus i. e. vita integerrimus, cujus incorrupti plane et sine ulla labe mores sunt. *Ornatissimus*, omnibus animi et fortunæ dotibus instructus. cf. in Verr. I, 48. extr. "hominem ornatissimum loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis."

Per compositionem. Compositio est pax, foedere aut qualicunqve decisione conciliata. nostr. Forliig.

Quæ res totum iudicium contineat, constituat, s. quid sit, in quo tota res versetur.

CAP. XIII.

Quæ obstant, noceant, obsint, *Sex. Roscio*. cf. cap. 52. extr.

Crysog. potentia pugnat, S. Roscium aggreditur. cf. c. 10: "tempore ipso pugnarent."

De verbis "*Quid igitur est*", dubitabamus in adnotatione (I, p. 23.) quanquam, si quid transponendum, post *opprimere debetis* optimus huic interrogationi locus est. Tuetur eam Matthæi, Ciceronem existimans sese corrigere, q. d. Doch was sage ich? Nobis quidem denuo locum inspicientibus videtur eodem modo fortasse autor dixisse, quo infra cap. XIX extr

"Quid ergo est?," ut restrictionem orationis annunciet; nisi forte interrogatio commentatori perspicuitatis studioso debeatur et e margine in textum irrepsit.

Ejusmodi, quo uno, i. e. ut eo uno malef. — *complexa* i. e. comprehensa. Rarior est in verbo *complector* vis passiva.

Vultu etiam, sc. iracundiore et infestiore, *læditur*, violatur, *pietas* liberorum in parentes; in liberis jam iracundior vultus crimen est — *jura divina* leges sunt a natura nobis insitæ; *humana*, leges ab hominibus latæ.

Portenti ac prodigii simile, quod naturam omnino excedit.

Ad perniciem profligata ac perdita, i. e. ita plane corrupta, ut ad quælibet facinora promptus homo sit.

CAP. XIV.

Pag. 25, lin. 6: post *cum officio conjuncta* signum interrogationis mutetur in Punctum.

CAP. XV.

Pag. 26 lin. 19: post *frui solitum esse* pro interrogandi signo Colon ponatur.

Vita intenta, i. e. vita, ubi quis attentam rerum domesticarum curam habet, vita frugalis, strenua. Sic *attentus ad rem*, Terent. "paterfamilias prudens et *attentus* or. pro Quint. 3. „ it. "durus et nimis *attentus* mihi videris.„ Hor. ep. I, 7, 91.

Usque eo non habes, quod arguas, i. e. adeo nihil, quod arguas, habes, s. tanta est tibi criminum inopia, ut ait mox c. XVI extr.

CAP. XVI.

Quæso, ut hoc, nimirum, quod de genere tuo incerto jam sum dicturus.

Ut patre certo nascerere, dissolutam carpit Erucii matris vitam.

Senex ille Cæcilianus, notæ satis Romanis fuere fabulæ Cæcilii, de quo vid. Hor. ep. 2, 1, 59. Poëta comicus erat, Ennii temporibus florens, — *inēptias*, qvoniā e comoedia petitum exemplum.

Qvamvis multos, i. e. tam multos, qvam vis; qvam plurimos. Mox *refer animum*, sis pro si vis, si placet.

Summam laudem pro: qvæ ei sunt summæ laudi.

CAP. XVII.

Ut parum miseræ sit, i. e. ut. non satis miseræ sit, eum aliis, non sibi agrum coluisse.

CAP. XVIII.

De *Atilio Serrano* vid. Val. Max. IV, 4, 5.

Qvibus rebus, i. e. qvam ob rem, sc. qvod suos agros studiose colebant, alienorum haud appetentes.

Ne in oppidum quidem, Ameriam nempe.

CAP. XIX.

Certi accusatoris, certis argumentis accusationem itā probantis ut ei fides possit haberi. cf. Clav. Ern.

Finge aliquid commode, qvod veri aliquam speciem habeat, qvod ad rem pertinere videatur.

Ad qvæstum atqve ad libidinem "til sin Interesse og sine Luner.„ *Baden*.

Qvid ergo est: Wolfius atqve Doringius intelligunt "mirum.„ Perperam, ut mihi quidem videtur. Dictum est haud dubie eodem modo, qvo supra c. XIII §. 36. ut restringatur aut lemitetur, oratio, qvanqvam, sufficerent particulæ "at ita tamen.„ Sensus: qvidquid est, v. qvamvis pecunia adductus sis, ita tamen etc.

In annot. 1, pag. 31. pro *oppositio* leg. *opposita*.

CAP. XX.

Hoc ita est utile. limitat enunciationem. Nostr. Dog med den Indskrækning.

Deos salutatum, veneratum. — Cibaria vobis præberi, vobis esse unde vivatis — commisisse sc. scelus.

Si hos bene novi, iudices scilicet.

Nisi fortunas, videtur h. l. plur. pro sing. adhibitus esse. Intel- ligit, ni fallor, fortunam illorum, qui istâ literâ notati sunt.

CAP. XXI.

Quid mihi ad defend. "Quid, pro: quam parum, quam leve est! Sensus: nihil est, quod aut mihi defendendum aut iudicibus suspi- candum dedisti.

Quid acceperim. Supra cap. XIX dixerat, Erucium pecunia ad- ductum esse, ut S. Roscium accusaret.

In hisce subselliis nimirum rei; iique sunt advocati ejus — ille aut ille advocatorum.

Causa publica dicitur, quæ minus ad privatum hominem, quam ad universam rempublicam pertinet, quod scelera, de quibus agitur, ei aut directe nocent, aut periculo publicæ securitatis. *Privata* vero, in qua pri- vati hominis commodum agitur. cf. Ern. clav. in v. *causa*.

Pro summa solitudine. quasi solus esset, nec aut aliquis Roscium defendere auderet, aut iudices adessent.

CAP. XXII.

Peroravit, orationem finivit. aliquando, tandem.

Vexari societatem scil. inter Chrysog. et Roscios.

Tradituros sperabas scil. Roscium tuæ libidini.

Restitue calliditatem, i. e. proba jam nobis, quam sæpe alias probasti calliditatem.

Latrocinium, non iudicium: egregia alliteratione, ut vocant rhetorici, Wolfius: "eine Versammlung von Räubern, nicht von Richtern.

Propter quos hanc svaviss. i. e. per quos — *natura nostr.* Naturdrift.

CAP. XXIII.

Terracina. Volscorum fuit oppidum.

Post *sensisse* et post *facile possent* signum interrogationis mutetur in semicommatas notam.

CAP. XXIV.

Poetae nimirum tragici — *suppl. de matre sumsisse*, Orestem sc. et Alcmæonem.

Quod i. e. quia, quippe, *ne pii* etc. Pius est, qui quod liberorum est, observat; h. l. igitur, qui paternam ulciscitur cædem.

Necessitatem, necessitudinem, "Forbindtlighed"; *religionem* "Helighed." Sic enim danice.

Usque eo i. e. adeo *permanat* etc.

Prorupta audacia, quæ prorumpit, temeraria.

CAP. XXVI.

Quæ tantum scelus i. e. scelestissimi hominis corpus, *attigissent*.

Etenim quid tam est commune etc. De hac sua juvenili redundantia in Oratore c. 30 ita Tullius ipse. "Quantis illa, inquit, clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? quæ nequaquam satis deferbuisse post aliquanto sentire coepimus. Sunt enim omnia sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione laudati."

Parricidium suscipit, qui committit; suscipi enim dicitur res magnæ difficultatis, atrocitatis etc.

CAP. XXVII.

In eo loco alii interpretantur "in ea re"; Manutius autem, id quod verum videtur, "in subselliis accusatorum"; non enim licuit oratorem interpellare, quod autem hoc loco accusatori Cicero permittit.

Si ipsum arguis, intell. scito v. respondebo: *Romæ non fuit*.

Si Romæ pro *Si Roma*, operarum vitio.

Pretium mercedem, *dedit* — *unde?* i. e. e quo? pertinet ad solutionem per alium, quæ per attributionem, per scripturam dicitur. Ern. Nost. "ved Anviising."

In victu arido. Non de sordido victu, sed de cibis siccis, minus jurulentis, et raro vini usu interpretatur Heusingerus. B. Est victus frugalis et simplex hominum rusticorum, oppositus urbanæ et lautioribus coenis — *quam tu agrestem*, cum contemptu.

CAP. XXIX.

Ubi scopulum: sed hic etiam ejusmodi scopulo impinges, ut etc. *Scopulum* est, objectio, quod duos servos noluissent accusatores in quæstionem dari. *Crimen in accusatores resilliebat*, quod verisimile fuit, eosdem servorum illorum ope Roscium interfecisse. cf. cap. anteced.

Ejusmodi tempus — *impune occiderentur*. Respicit proscriptiones Sullanas.

Nos judicio perfundere. Heusing. explicat: accusare sine effectu, Ernesti: innocentem præter jus vexare, molestia adficere per calumniam. Grævius: judicio obscuro, in quo nihil clare liquidoque probatur, obruere. Videtur proprium in judiciis verbum fuisse *perfundere*, de iis, qui leviter ac sine ullo argumento accusarent; unde etiam *assertiones perfusoriæ*, Svet. Domit. 8, de quo loco vid. Excurs. Ernestii XXXII; fortasse

nostr. *superficiel*; quanquam ex interpretatione Ernestii *judicio perfundere* nihil aliud est, quam alicui calumnia litis molestiam creare et in periculum capitis adducere.

Quid postea? quid tum? Danice verterim: "Naa, og hvad saa?," sive: "Og hvad følger da deraf?," Verba sunt Erucii, fatentis, se quidem a sectoribus esse adductum, sed quærentis: "quid tum? quid inde efficiatur?," Respondet Cicero: "Nescis etc.,"

Sectores collorum et bonorum. Ludit in ambiguitate vocis *sector*. Translate enim ita dicebantur, qui bona proscriptionum emebant eademque secabant, distrahebant. dissecabant, iterum divendebant. Ascon. ad Cic. Verr. I, 23: "Sectores dicti sunt, qui, spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecuniam pensitabant singulis, ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo vendebant.,"

Pag. 46. lin. 5: pro *putabant* legatur *putabunt*.

Erucii criminatio dissoluta est, rejecta, refutata est. D.

CAP. XXX.

Utrumvis, utrumque, utrum placuerit, accusare et defendere.

Hic sedes, in accusatorum subselliis.

Alias suas palmas, victorias, cædes vid. supr. ad cap. VI.

Ab innocentia, i. e. ab innocentie parte, erga innocentes. Sic quoque latine dicitur stare ab aliquo, a partibus alicuius.

CAP. XXXI.

Ad prædam, quam ad egestatem, i. e. ad eum, qui prædam possidet, quam ad eum, qui egestate laborat.

Tenuitas hominis, Roscii Magni. — Avaritiam præfers, orationem convertit ad ipsum hominem.

Os tuum non modo ostenderes, sed afferres, i. e. non modo ades-
ses in reliqua circumstantium corona, verum isthic palam in accusatorum
subselliis sederes. Impudentiam hominis bene indicant hæc verba.

Cum alienissimo, Chrysogono.

Pag. 49, lin. 16 pro labore leg. labore.

CAP. XXXII.

Inter sicarios solita latinitate pro: in quæstione de sicariis. —
Suis vulneribus mederentur respicit haud dubie homines ære alieno op-
pressos, qui rapinis rei suæ familiari consulere studebant.

Et ego, judices, possum, demonstrans nimirum, T. Roscium
Magnum cædis auctorem esse.

CAP. XXXIII.

Ceteras facultates. Facultas h. l. est copia vel occasio rei alicujus
perficiendæ.

Qui in bonis erant occupati i. q. mox: qui alienum appetebant.

In cujus fide et clientela. Chrysogonum intelligit.

Quicquid contra dixeris, contradicas licet, quicquid placuerit, sed
contendito, oppone illud defensionis nostræ.

Pag. 53 lin. 5 addatur post *suscipiendi* Semicommatis nota.

CAP. XXXIV.

Videamus nunc strictim, sicuti cætera, quæ etc. Cave, ne jun-
gas cætera, quæ. Sensus est: Strictim nunc, ut cætera, sic et ea videam-
us, quæ post mortem S. Roscii facta sunt.

Me dius fidius, solita jurisjurandi formula. Plene: ita me Dius
(Διος h. e. Jovis) fidius (antiquè pro filius,) sive a *fide* dictus: deus, qui fidei
præest) amet!

Cuicumodi es i. e. qualiscunqve tu es, sive probus, sive improbus.
 Wolffius bene: "du magst nun diese Rücksicht verdienen oder nicht."

Cum hoc vereor etc. i. e. at vero, quanquam hoc vereor — rursus tamen immuto vol. m.

Venit mihi in mentem alicuius rei, sc. cogitatio, v. imago; græca constructio latinis etiam usitata, quanquam et dicitur; res mihi venit in mentem — os pro impudentia cf. cap. 31.

Tene depoposcisse. Admirationem indicat infinitiva structura, pro: fierine potuit, ut tibi partes istas deposceres?

Quid attinuit? i. e. quid opus fuit? *eum potiss. nuntiare* sc. id, *quod* — *pertinebat*.

Post *nuntiat?* pag. 54 lin. 11 deleatur signum interrogandi et puncto distingvatur.

Optime convenientes, concordēs, qui cum eo vivebant, conjunctissime.

CAP. XXXV.

Ad ejus testim. vestrum jusjur. accommodetis, i. e. ejus testimonio contra jusjur. vestrum, judicetis; ejus testimonium in sententia ferenda temere seqvamini.

CAP. XXXVI.

Ad magistrum, quem supra dixerat lanistam, c. 6 extr.

Pag. 57 lin 17 post *utrum* commate distingvendum est.

Vindicandum, puniendum — *comparatum est*, institutum est. D.

Quid tu, vir optime! Titum Roscium Magnum alloquitur cf. supra c. 30: "Tecum mihi res est, T. Rosci! quoniam istic sedes ac te palam adversarium esse profiteris? Is enim superioribus Ciceronis verbis commotus, murmure fortasse et fremitu speciem præbuerat oblocuturi.

Tectior vestra cupiditas esset, nimirum si non istic sederes.

Post *ex vobis* deleatur nota 2), ponaturque post *a nobis*.

Dedita opera a nobis, quæ si recte leguntur, explicanda videntur per: quasi a nobis opera esset data, dan. paa vor Forestilling. Döringius autem jungit: "a nobis contra vosmetipsos facere", vertitque: "uns zu Gunsten (s. für uns) gegen euch selbst", locum comparans c. 30 "ab innocentia clementissimus." At vero docet Matthæi, nec illud legi posse, nec veram esse hanc explicationem, sed scribendum: *a vobis*, idque haud explicandum esse cum Facciolato: "vestra sponte", sed jungendum cum verbis "dedita (i. e. data) opera."

CAP. XXXVII.

Pag. 59 lin. 14 operarum errore legitur *suspicionem* pro *suspicionem*. Sensus non est, quod putetis meram suspicionem esse, quod hæc a Rosciis ad Chrysogonum sint delata; est ipsa veritas, non suspicio. cf. Græv. ad h. l.

Nam cum multos vet. a maj. Roscii etc. Roscii h. l. primus casus est numero plurali.

Impulsu suo i. e. ipsorum, sc. Rosciorum.

Indicii partem, partem bonorum, tanquam indicii mercedem.

Qui sunt in istis bonis, quibus partem etc. i. e. sunt, quibus istorum bonorem partem Chrysogonus dederit?

In ista pugna i. e. in cæde S. Roscii. *quod operæ pretium esset* i. e. quod pretio, mercede dignum esset.

Honoris, i. e. præmii, muneris, *aliquid haberi*. cf. Clav. Ern. in v, honor.

Tantæ pecuniæ i. e. tanti pretii.

CAP. XXXVIII.

Si sublata sit venditio bonorum i. e. nisi veneant bona.

Illum acuere oppos. τφ hos fallere; itaque Wolfius vertit: "Jenen sucht er scharfsichtig zu machen, diese zu täuschen." Fortasse et simpliciter: *acuere*, impellere, incitare, stimulare.

Partem suam, nimirum tria illa prædia.

Aliqua fretus mora. Vid. pag. 61 annot. 1. Notetur autem conjectura Döringi, pro vulg. *al. fretus hora* levi mutatione legentis: *al. fretis hora* i. e. illis, qui freti erant, horam se aliquando nacturos, qua Sullam adire possent.

Auctore, intercessore. Intercessor est aut qui se interponit, aliquid sibi procurandum sumit; aut qui impedit, quo minus aliquid fiat, qui prohibet, intercedit. Prius Ernestio Wolfioque, & nobis etiam propter adjuncta *hortatore, auctore*, posterius autem Döringio placet. Verba "*isto hortatore, auctore, intercessore* verterim: "formedelst hans Opmuntring, Raad, Mægling eller Mellehandling."

Testimonium eis denuntiare i. e. eis nuntiare, ut testimonium perhibeant.

Itaque mandati constitutum est iudicium, i. e. mandati neglecti. cf. pag. 63, not. 2.

Quid recipis mandatum etc. Fingit se cum eo colloqui, qui mandatum neglexerit.

C A P. XXXIX.

Atque adeo inter vivos i. e. vel potius int. viv. cf. pag. 56, not. 4.

Illum negligere oporteat, i. e. oporteat, ut ille mandatum negligat, qui etc.

Legationis ipsius caeremoniam, sanctitatem, religionem. Proprie enim caeremoniæ sunt sacri ritus, tum omnis religio et cultus.

Ut cum Chrysogono sc. eam rem transigeret. — Fidem suam interponeret, nimirum se rata habiturum, quæcunqve alter transegisset.

Damnatus per arbitrum, si arbitrum adigeretur ab adversario. "Est enim *arbiter* in sensu forensi, qui aut honoris causa deligitur ab his, qui controversiam habent, aut a prætore datur, ut, non quemadmodum iudex e certa formula, quæ definiat, quid et quomodo sit iudicandum, a qua ei discedere non licet, sed ex fide bona, ex æquo et bono, controversiam dirimat. — h. l. *arbiter* dicitur iudex mandati, quia etiam in iudicio mandati additur *ex fide bona*., Ern. cl. Cic.

CAP. XL.

Tecti ad alienos, i. e. cauti erga alienos; ita circumspecti, ut iis non omnia nostra committamus.

Induxit, decepit, destituit, adv. tradidit, o. f. et p. fefellit. Observent tirones veram κλημικη, non rhetorica arte elaboratam, sed ex ipsa rei natura et commoto oratoris animo veluti sponte prognatam.

Hoc quoque maleficium, de quo iudicium est, cædem Sex. Rescii, cujus reum faciunt filium.

Ita promptum, manifestum, propositum, ο: ante oculos positum.

Non ex illis maleficiis etc. i. e. cædes non ex illis maleficiis, quæ ab ipso commissa esse constat, apparet, sed ex cæde ista maleficia confirmantur. Rarius ipsa res *convinci* dicitur; plerumque homines, quorum crimina sunt ita manifesta, ut negari nequeant.

A gladiatore, a consuetudine gladiatoria, *recessisse*.

Tantum de arte concedere, ei vel minimum in illa arte cedere.

Gemina, h. e. simillima, quia geminorum magna solet esse similitudo. D.

CAP. XLI.

Fine; qui postulabant, Scipiones et Metelli. vid. supr. cap. 28; sique mox dicuntur nobilissimi atque integerrimi civitatis.

Hoc pugnari, contendi, obnixè et magna contentione impediri.
Anne quævitur sc. in dominum? quæritur enim in Sex Roscium,
 et hunc certe vos dominum esse non dicetis.

CAP. XLII.

Non in omnes arbitror omnia convenire, non omnes ex isto societate arbitror culpæ pariter affines; nihil enim ad Chrysogonum cædes ipsa pertinet; hæc soli Rosciorum audaciæ tribuenda est.

Pag. 69. lin. penult. pro *deligenter* leg. *diligenter*.

CAP. XLIII.

Aureum nomen. Alludit ad græcam nominis originem a
 voc. χρυσος.

Tota societas statuitur, consistit, viget, nost. bestaaer; ejus se patrociniò tuetur.

Tametsi ita se res habet, ut etc. Distingvit communem sectorum causam et Chrysogoni duorumque Rosciorum societatem. In illam nihil sibi putat dicendum, in hanc multa.

Si enim hæc audientur etc. Sensus: "si enim libere de proscriptione dicendum sit, ac demonstrandum, quam indignum sit, innocentium hominum bona venisse, multi sunt iidemque multo clariores homines, de quorum injuria potius conqueramur, quam de Sex Roscii, qui non tantus in civitate fuit." At paulo cautius Cicero. — Hæc simplicissima quidem ratio. Aliter autem Wölfius, locum. ita explicans: "Tametsi enim hæc et libenter a vobis, utpote libertatis studiosis hominibus, audientur et a me libere dicentur, non tamen fuit tantus homo Sex Roscius etc." me quidem judice, minus recte.

Sive Valeria, sive Cornelia. Lege *Cornelia* (L. Cornelii Sullæ) de proscriptis cautum erat, ne quis proscriptum juvaret, atque ut proscriptorum bona venirent ad Kalendas Junias. Ne vero Syllam offenderet, ignorare se dicit, utrum *Cornelia* sit ista lex, an *Valeria* (L. Valerii Flacci interregis), quæ anno 671, L. Cornelium Sullam Dictatorem creavit, tulitque, ut omnia, quæ fecisset, rata essent, possetque impune, quem vellet, indicta causa interficere. Vid. ind. legum in cl. Ern.

In adversariorum præsiidiis, exercitu, castris. Baden loca intelligit munita. s. castella, quæ tenebant adversarii. Quæ autem interpretatio etsi defendi posse videtur e Cæs. Bell. 3, 45: "Quum legio IX præsidium quoddam occupavisset et munire coepisset, offendit tamen, quod in sequentibus statim non de loco præsiidiis firmato, sed de militibus locum tenentibus idem vocabulum adhibetur.

CAP. XLIV.

Chrysogonum dico hæc fecisse, ut ementiretur, ut — fingeret, ut — diceret, ut — passus non sit. Periphasi sæpius inservire verbum *facere* ut; atque ita dici pro: "Chrysogonum hæc dico ementitum esse, finxisse, dixisse, passum non esse", illustravit Heusingerus.

Id quod postea — aperietur. Periisse existimat Wolfius eam orationis partem, in qua ista orator, plana fecerit. Mibi vero ista statim sequi videntur in verbis: "Opinor enim esse in lege — constat". Fraudi fortasse fuerunt verba: "postea aperietur". Sed particulæ *postea* non ita inhærendum, ut longum intervallum eo indicari putemus. Est enim h. l. deinceps, mox, jam, statim, jamnunc.

Quæque ad omnes, nisi providemus, arbitror pertinere. Statum dolet reipublicæ, ejusmodi hominibus obnoxia, quorum insolentiam carpit cap. 45-46, eamque ostendit a nobilitatis causa plane alienam esse c. 47-49. — *Ea pro me ipso* etc. Huc pertinent, quæ ad finem huius loci,

medio cap. XLIX dicit: "Verum hæc omnis oratio, *ut jam ante dixi, mea est*; qva me uti respublica & dolor meus, & istorum injuria coëgit".

Quæ ad hujus vitæ casum — jam in extrema oratione audietis, nimirum inde a cap. 50, vel potius a medio 49: "Sed Roscius horum nihil indignum putat".etc.

CAP. XLV.

Remoto S. Roscio, nulla illius ratione habita. Ad ejus enim causam redit medio cap. 49. Jam de statu reipubl. ex animi sui sensu ac dolore dicturus est.

Pag. 73 lin. 22 inter *præfinita et est* deleatur particula *non* quæ, ab hoc loco plane aliena, nescio quo errore irrepsit.

In patronum conferre, in eum ejus rei culpam conjicere.

Placet, comprobas, nostr. billiger du da?

Pag. 74 lin. 15, post *impertiri videmus* colo interpungendum.

Si id mens hum. adepta non sit, i. e. mentem humanam adeptam non esse, quod etc.

Post verba "*se dixit Erucius*. desiderari Beckius existimat omnem argumentationem, qva docuerit orator Roscii bona neque venire potuisse, neque venisse. Quidni potius dixerimus, periisse h. l. responsum oratoris ad quatuor illas quæstiones ineunte capite XLV propositas. At neutrum, si quid video, omnino recte. Primum enim non opus erat, ut rei jam demonstratæ ac satis claræ (cf. quæ monuimus ad verba *postea aperietur* cap. 44) ulterius demonstrandæ immoraretur; neque ideo interrogasse Chrysogonum init. c. 45 videtur, quo prolixiori cuidam argumentationi locum faceret, sed tantummodo, ut objurgationem interrogandi formulis graviolem redderet. Deinde patet, ut e contextu, sic e verbis lacunam cap. 45 proxime antecedentibus, in eo tantummodo occupatum oratorem esse, ut in invidiam ducat Chrysogonum ex usque, quæ nunc fiant, ostendat, eum etiam hujus in S. Roscium machinationis, quæ patris bona

venisse dicantur, autorem esse. Quod ut apparet, in nimiam ejus potentiam fastumque invecus, aliorum Sullæ libertorum atque amicorum opes cum divitiis Chrysogoni comparavit; unde possunt prima post lacunam verba, monente Lambino, ita suppleri: *Hi* (sc. ceteri liberti amicique Sullæ) *domum* aptam et ratione dispos. etc.

CAP. XLVI.

Alter (Chrysogonus scilicet) *tibi descendit* etc.

Quid signorum, statuarum, imaginum. D.

Quid marmoris, nimirum pavimenta tessellata, columnæ etc.

Variis cum artificiis, h. e. variis artificiis instructam. Quænam hæc sint artificia, mox ipse indicat.

Per forum volitet. Volitare significat assidue vagari, sed plerumque cum jactatione aliqua ambitiosa, aut impudente aut insolente. Ern. cl. Cic.

Caterva togatorum h. e. civium Romanorum, quibus turpe erat libertum sectari D.

CAP. LXVII.

Pro illa tenui parte, pro mearum opum tenuitate. Heusing.

Deinde sic mutetur, velim, annotatio nostra 2, pag. 77. "ut componeretur, i. e. ut pax fieret, ut componeretur discordia inter Marii s. plebis ac Sullæ s. nobilium partes."

In eo partium studio fuisse, partibus nobilium ita favisse, ut fortibus illis viris honorem habendum esse cuperem.

Homines postremi sunt, homines vilissimi, infimæ sortis et morum turpissimorum,

Qui hæc (i. e. præsentem statum reipubl.) vituperare volunt.

Vellem liceret: hoc dixissem i. e. tum hoc dixissem. Ostendit Cicero, nihil esse iudicibus a Sulla metuendum.

Sua cuique procuratio, h. e. muneris sui procuratio. D.

Ne ominis quidem causa, nedum quod iis grave aliquid imprecer. Manut.

Iis hominibus, equitibus scil. qui olim e lege C. Gracchi iudicabant, ornamenta sua concedant, iudicia intellige s. iudicum munus.

Pag. 79. Lin. 9. post. *locutum esse* pro semicolo ponatur comma.

Qui equestrem splendorem pati non potuerunt. Nobiles v. senatorii ordinis homines, qui iudicia equitibus ademta et senatui restituta esse gaudebant. *servi nequissimi, Chrysogonum intelligit, qui quidem servus fuerat.*

Iter adfectat ad iudicia vestra, putat, se etiam in iudiciis regnaturum, ut eius arbitrio fidem et jusjurandum vestrum accommodetis.

CAP. XLIX.

Nobilitas rempub. recuperavit, superatis atque dejectis Marii partibus.

Se ipsum prope non novit. Obliviscitur enim, se civem esse ac nobilem.

Ille improbiss. Chrysogoni fautor etc., h. e. quisquis Chrysogono improbe favet, ejusdemque causam suam existimat, is semet ipse lædit, quoniam a splendidissima nobilium causa recedit eorumque victoria non fruitur.

Ut jam ante dixi, extremo cap. 44: "quæ mihi intolerabilia et indigna videntur, — ea pro me ipso, ex animi mei sensu ac dolore, pronuntio". Itaque hæc omnis, inquit, oratio mea est.

D

Sed Roscius horum nihil etc. Transit ad alterum, quod ad calcem capitū 44 promiserat se *in extrema oratione* de Roscii causa dicturum. Contentum scilicet hunc esse, si crimine nefario solvatur; fortunas suas Chrysogono cum æquo animo relinquere.

CAP. L.

Pag. 82 post *si inimicitarum? Sin metuis? studes perdere?* pro interrogationis signo Colon sententia postulat.

Tu metuere non debes, cum tanti te apud Syllam existimes esse.

Spem emtionis tuæ i. e. spem, fore ut ea retineas, quæ emisti.

Ne monumenti quidem causa, cf. cap. IX: "cui prædo ne iter quidem ad sepulcrum patrum reliquisset," et ibid. annot. nostra.

CAP. LI.

Quod summa respublica v. summa reipublicæ, h. e. summa reip. salus, *tentatur*, in discrimen adducitur. D.

Fori ac iudicii rationem suscipere quid sit, patet e sequentibus; omnia scilicet procurare, quæ ad causam defendendam iudicibusque commendandam pertineant.

Messala. Demonstravit Wolfius h. l. perperam ab Ern. intelligi Messalam, qui biennio post Ciceronem consul fuit, quippe qui ejusdem fere cum Cicerone fuerit ætatis ipsique ergo non dici potuisse ætatem impedimento fuisse; at potius heic designari M. Valerium Messalam, Hortensii nepotem, qui deinceps a. 701 consul est creatus.

Pro hac nobilitate i. e. pro nobilitate ejus ingenii, quo se Messala commendat.

Hæc acta res est, idcirco pugnatum est.

Uti nobiles restituerentur, nimirum qui a Cinna Marioque erant expulsi.

CAP. LII.

Salvi etiam nunc, quamvis a Chrysogono petimur.

In vestro jurejurando atque in S. Roscii periculo, ἐν δια δυν: ejus rei initium faciunt, dum in Sex. Roscii periculo, (caussa), vestrum jusjurandum (vestram fidem jurejurando sancitam) tentant.

Ad quem maleficium pertineat, quis maleficii reus, culpæ affinis, cædis in Roscium commissæ auctor.

Susp. potuit consistere, locum habere.

Obstare, obesse, vitio verti, culpæ dari.

CAP. LIII.

Suscipere noluit, non probavit. Eam scilicet proscriptionem non Senatus consulto, sed lege Valeria (de qua vid. supr. cap. 43) ad populum lata Sulla obtinuit.

Tantum!
